Lane Medical Library

DE RHEUMATISMO MUSCULARI UTERI ET HYSTERALGIA RHEUMATICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAURITIUS BAUMERT

HIRSCHBERGENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. FELDMANN, med. et chir. Dr.
H. SCHAEFER, med. et chir. Dr.
H. ARNDT, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0231

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

FRID. GVILELMO STUMPF,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN LEGIONE REGII EXERCITUS BORUSSICI MEDICO PRIMO, EQUITI ORDINIS AQUILAE RUBRAE ETC.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

UT SUMMAE VENERATIONIS SIGNUM

MAGNA CUM REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

Omnis uteri pars, qua continetur, etsi rheumatismo corripi potest, tamen experientia edocti sumus, saepissime morbo illo laborare substantiam uteri muscularem. Quam ob rem ab hac affectione describenda initium faciamus commentationis nostrae. At priusquam in medias res transeamus, commemoranda nobis videtur differentia, quaenam intersit inter rheumatismum uteri muscularem mulierum gravidarum illarumque conditionis illius expertium. Neque omittenda est ea hujus affectionis species, quae uterum inter partum ipsum occupat, non quia ma-

gnum inde symptomatum discrimen exoriatur, sed quod distinctio morborum uteri, qui partum perturbare valeant, ante omnia opus est accuratissima. Qua commentatione perfecta de hysteralgia agere nobis in animo est, ut affectione utraque comparata, quid intersit, eo melius eluceat.

I. RHEUMATISMUS UTERI MUSCULARIS.

A. Symptomata et decursus rheumatismi muscularis uteri non gravidi.

Morbus, de quo verba faciamus, plerumque existit inter mensium fluxum, postquam frigoris injuria tactae sunt mulieres. Haud multo post vim illam noxiam secretio sanguinis menstrui cessare solet, et dolores superveniunt aegrotae per pelvim potissimum trahentes, qui, ligamenta uteri rotunda haud raro secuti, modo urentes modo locum mutantes, nec nunquam ad femora descendentes inveniuntur. Doloribus febris aut antecedit aut deest. Qui dolores quum primum aliquamdiu perstiterunt, secretio interdum accessit serosa ex mucosa uteri oriunda. Imo haemorrhagiae eaeque satis constantes ex utero prorumpunt, unde sanguis laete ruber evacuatur, intervallis temporum, quae cum dolorum remissionibus congruunt, interjectis. Sanguinis hujusmodi jactura, quae ipso co-

lore a catameniis facile distingui potest, ab ipso processu rheumatico pendere dicitur, id quod auctores nonnulli partim ex analogia, partim eo demonstrari opinantur, quod acida mineralia haemorrhagias istas non sistunt, dum frigoris usu augentur. Cui sententiae etsi propter exiguam nostram experientiam neque assentiri neque adversari valemus, tamen res ipsa certe non indigna est, cujus mentionem faciamus. — Singula, quae adhuc enumeranda sunt symptomata, quod spectat ad tempus, irregulariter repetuntur: paroxysmus noctu potissimum asperrimus, febris, si qua adest, plerumque sthenica.

Quem antea descripsimus symptomatum complexum, is aut evanescit diebus aliquot praeterlapsis, aut per tempus longum perdurat, cujus longitudinem neutiquam praedicere licet. Etenim hoc in casu aegritudines rheumaticae aut continuantur, lucidis intervallis aut regularibus aut irregularibus non desideratis, aut peculiaris illa morbi forma evolvitur, cujus signa in conspectum non veniant, nisi menstruationis tempore, dum tempore intermedio a molestiis ejusmodi plane liberantur aegrotae, nisi forte sensatio quaedam alicujus pressionis in pelvi minore perceptae restat. Mensium vero diebus luculentae exacerbationes apparent, unde nomen Dysmenorrhoeae huic morbo singulari haud raro tribuatur.

B. Rheumatismus uteri gravidi muscularis.

Dolores, quos trahentes et lacerantes vulgo dictitant, aegrotas, si rheumatismo inter graviditatem conflictantur, magis in genere excruciant, ac loci imprimis affecti

difficiles sunt cognitu, quamvis plerumque maxima uteri pars correpta esse soleat. Inde fit, ut non solum uteri collum, sed etiam tota fere regio hypogastrica ex pressione externa valde offendatur: quae nota extra graviditatem deest. Simillimi sane sunt dolores his, qui partum solent praeparare, attamen neque a columna vertebrali initium sumunt, neque typo intermittente insigniuntur. — Haemorrhagiae istae in rheumatismo gravidarum paene desiderantur, sed nisus urinam reddendi frequentissimus, et ipsa dysuria per consensum fere excitatur. Febris, quae vix deficit, plerumque characterem sthenicum induit typo continuo-remittente. Morbus postquam aliquamdiu aegrotam vexavit, abortus saepius intrat, nisi forte partui naturali ex rheumatismo uteri ultimis graviditatis diebus accedente magnum commovetur impedimentum. — Haec morbi varietas resolutione perfecta in sanitatem ferme semper transit, cura scilicet rite ordinata. Sin morbus aut negligitur, aut prava manu tractatur, metritis sequi potest; quin vitae periculosus fit aliquamdiu, si quidem impedimenta difficile removenda partum normalem prohibent.

C. Rheumatismus uteri muscularis parturientium.

Si inter partus decursum rheumatismus musculos uteri incedit, labores ad partum neque efficacitatem solitam praestant, et admodum dolorosi sunt. Quod vero dignoscendae conditioni hujusmodi auxilium haud exiguum suppeditat, est dolorum per levem attactum orificii uteri

etiam lucidis intervallis suscitatio. Huc accedit, ut labores ad partum justo celerius desinant, neque per singula, quae statu sano facile distinguuntur stadia, evolvantur. Contractiones uteri jam ab initio mulieri permagnum parant dolorem. Contractiones ipsae tardae, inertes et dolore quasi abbreviatae, normalem contractionis gradum parare nequeunt. Mulier contractionum dolore permota dolores ad partum nixibus suis promovet, etsi haec propellendi cupiditas magno mulieri urgenti detrimento sit necesse est. Quod attinet ad reliquum organismum, nihil certi omnino dici licet, quippe quae conditio ex febri aut praesente aut desiderata valde varietur. Partus ipse semper affectione hujus modi retardatur, ita ut nonnunquam ipsa tertia quartave ejus periodus per diem dimidiam prolongetur. Neque tamen saepe tanta pertinacia esse solet, quantam supra commemoravimus; e contrario plerumque apta curatione post aliquot horas diffugit. Quodsi vero male pertractatur, accidit nonnunquam, ut in metritidem transeat puerperium haud parum turbaturam.

DIAGNOSIS.

Morbi, quibuscum rheumatismus uteri non gravidi confundi possit, sunt haemorrhagiae aliis de causis provocatae et molestiae menstruales hysterismo exortae. Ab haemorrhagiis autem eo dignoscitur, quod effluvium sanguinis non fit, nisi una cum doloribus periodice exasperatis. Prae aerumnis hystericis excellit evolutione, decursu, exacerbationibus, quae regulariter per vesperum intrare solent, indole sanguinis corrupti, qui colorem laete

rubrum servat, et fluiditate majore praeditus est. Maximi vero momenti est ea res, quod dolores dysmenorrhoeae, ubi menstruatio prorupit, dissipantur, dum rheumatismo praesente inter ipsam haemorrhagiam atrocissimi sunt. Praeterea non negligendae sunt totius constitutionis ratio, urinae indoles in hysterismo pallidae atque copiosae. — Criteria, quibus inter partum ad diagnosin certam exhibendam utimur, ad evolutionem potissimum, decursum, causas affectionis spectant, neque habemus igitur, quod multa hac de re verba faciamus.

AETIOLOGIA.

Momentorum, quae dispositionem et proclivitatem in rheumatismum uteri efficiunt, aetas pubes gravissimum est. Quotquot enim a nobis evoluti sunt auctores, nusquam de rheumatismo uteri ante pubertatem obvio quidquam invenimus. Inde a pubertate ineunte usque ad involutionis periodum tum potissimum mulieres irritamentis istis nocuis, quae dicuntur rheumatica, succumbunt, quando turgore, actione et incitabilitate aucta uterus prae reliquis organismi partibus viget; qua de causa morbus originem fere non ducit nisi a tempore mensium, graviditatis, partus, puerperii. Sin puerperii tempore formatur, vixdum in substantiam muscularem restringitur et characterem sthenicum fere semper amittit.

Causae occasionales a consuetis minime discrepant, mensium tempore potissimum pedum refrigerium subesse solet, dum abdomen via directa ab irritamentis nocivis plerumque afficitur graviditate, vestimentis propter ventrem prominentem a corpore nimis remotis, braccis desi-

deratis; licet hoc quoque tempore refrigerium extremitatum inferiorum vel genitalium, dum locis ventosis mulieres morantur, accidere possit. Inter partum vero haud raro incauta stragulorum elevatio accusari debet, qua partes denudatae subitaneae temperiei vicissitudini exponantur. — Quodsi reliquas rheumatismi species propemodum omnes per metastasin quoque oriri constat, haec uteri affectio ubique primigenia, via directa momentis nocivis producta esse solet. Miasmati vero nunquam originem debet; quapropter exempla ejus praeter sporadica non observantur, nisi forte Welten auctori cedere malumus, qui unus omnium, quos consuluimus, tradit, fine anni millesimi octingentesimi vicesimi secundi rheumatismum uteri apud gravidas insolite frequentem fuisse.

PROGNOSIS.

Judicium de morbi periculo ferendum ex variis conditionibus valde varietur necesse est. Etenim utero non fecundato si morbus acutus ab initio justis remediis curatur, fere nihil inde metuendum videtur. Multo cautius placitum prognosticum statuendum, si ex rheumatismo jam inveterato vestigia structurae organicae alienatae in conspectum veniant. Graviditate vero praesente judicium nostrum eo magis ambiguum esse oportet, quum haud raro abortus vel partus praematurus rheumatismi ope incitetur. Jam vero si inter partum ipsum uterus affligitur, de graviditate affectionis rheumaticae ex diversis potissimum partus periodis viris doctis cogitandum judicandumque esse placet.

Omnes enim uno ore consentiunt, partum magnopere turbari posse, si, antequam justa curatio instituatur, rheumatismus jam aliquamdiu saeviit, prioribus potissimum partus periodis, sive situs infantis inde depravatur, sive alia quaedam irregularitas illa ex causa originem ducit.

CURATIO.

In universum notanda nobis videtur diversitas curae ex temporibus diversis moderanda, quippe nemo est ignarus, remedia aliis temporibus aptissima, graviditate vel partu effectum minus vehementem exserere posse. — Medicaminum, quae contra rheumatismum muscularem uteri non gravidi commendata sunt, principem locum tenent balnea tepida, quae quum a plerisque auctoribus collaudentur, tum a Balling hisce verbis efferuntur: »Von Wasserbädern zu wenigstens 26° R. sah ich ausgezeichnete Dienste in Fällen, wo starke Blutungen vorhanden waren und der Rheumatismus schon Jahre lang bestanden hatte.« Auctori illi veritatis amantissimo, quamquam nihil est, cur fidem non habeamus, tamen ingenue fatemur, eventum illum, si quidem cum eo comparatur, qui ex balneorum usu contra alias rheumatismi chronici species redire solet, excellentiorem nobis videri, quam quem a priori affirmare audeamus, licet auctor nullus nobis ad manum sit, qui laudes istas rejiciat, neque egomet ipse unquam adhuc simile quidquam expertus sim. At successus ille felicissimus ut in casibus ab auctore illo relatis non pependerit nisi ex balneis, facere tamen non possumus, quin in partes Eisenmanni discedamus, qui

efficacitatem balneorum tepidorum aliis remediis partim specificis, partim iis sublevandam suadet, de quorum actione rationem sufficientem enucleare valemus. Sunt in numero horum clysmata ex aqua calida parata, quae in universum contra morbos acutos multo saepius applicatione digna sunt, quam hucusque fieri solet. Illis vero ante omnia adnumerari debent praeparata seminum et radicis colchici, non quod in uterum potissimum agant, sed quia vim contra processum rheumaticum possident specificam. Minime quidem ignoramus medicos plerosque, postquam Anglis primis usus praeparatorum illorum placuerit, nihil inde exspectandum censere, nisi diarrhoeam vomitumque rheumatismo ipsi noxium atque inanem; at corrigi licet effectum istum parva opii dosi addita. Alias nempe medicamentorum compositionem medici neutiquam refugiunt. Itaque quoque hoc in casu profecto nihil est, cur non remedium adjiciant, quod non modo vim alterius corrigere, sed etiam solum devincere valeat rheumatismum. Sin neque alterutro neque utroque medicamento a nobis laudato sanatio contingat et affectio, de qua est sermo, magnam servet pertinaciam, aptissimum nobis videtur hydrargyrum muriaticum corrosivum, quod et Lentino auctore, qui primus illud adversus rheumatismum chronicum in usum vocavit, et ex aliorum virorum observatione prae ceteris laude dignissimum est.

Hac atque illa curandi methodo quum primum aegrotas in integrum restituere nobis contigit, ad valetudinem in posterum quoque retinendam medicaminibus opus est prophylacticis, ne, quam vixdum recupaverunt sanita-

tem, paulo post iterum perdant. Ad hocce consilium maxime quadrant vestimenta, quae nocuam elementorum externorum vim mensium potissimum temporibus defendere valeant. Quaenam praeterea hunc in finem ordinanda sint, posthac trademus.

Quod attinet ad curam contra rheumatismum uteri gravidi instituendam, ante omnia ea separanda est in prophylacticam et therapeuticam. Illa efficitur necessario ut corpus regimine diaetetico fruatur quam maxime consentaneo, et genitalia braccis potissimum a refrigerio arceantur. Sin nihilominus res ex votis non cedat, mora inprimis jubenda est in cubiculo satis temperato, dum reliqua cura secundum diversum rheumatismi febrisque gradum varianda est. Febri enim vixdum nobili et affectione rheumatica satis exigua tincturam colchici cum opii parca copia propinari licet, nisi forte propter plethoram universalem, quae graviditate saepissime occurrit, opii nsus vetatur, quare a colchico quoque abstinere coacti sumus, ne alvo nimis soluta abortus acceleretur. Quibus vero medicina supra a nobis citata fortior videtur, eos haud dubitamus ex usu ammonii muriatici, radicis ipecacuanhae, opii parca manu porrecti, exitum optatum haud raro nacturos esse, dummodo vis medicatrix naturae ad actionem morbosam devincendam sufficiat. — Febris ubi ad majorem vehementiae gradum evecta est, charactere sthenico non amisso, venaesectio fere conducit neque spernenda sunt usui interno vinum stibiatum, spiritus Mindereri, alia, quae effectum illis similem praestant. Quae remedia quamvis diligentissime propinentur, tamen nonnunquam fit, ut successus accelerandi causa

infrictiones calidae oleosae, vel clysmata ex infuso florum chamomillae parata opus sint. Balneis tepidis vero et hoc in casu vixdum salubrius quidpiam anteponere possimus.

Sin mulieri parturienti rheumatismus supervenit, inprimis spectandum est, ut in cubiculo satis temperato quiete versetur, potu leniter diaphoretico. Reliqua curatio in universum quidem superiori simillima est; attamen sunt res quaedam, quarum mentionem fieri necesse est. Simulac enim ardore et sensibilitate nimia vagina excellere coepit, injectiones oleosae in vaginam immittendae et applicationem spongiae, in infusum herbae Chamomillae aliarumque adhuc calidum immersae, ad genitalia externa, vel balneum genitalium vaporaceum non oportet negligi. Qua medendi ratione etsi plerumque rheumatismus ipse fugatur, sudore universali oborto, tamen tertia et quarta partus periodo tantopere laborum virtus quandoque decrescit, ut ad usum boracis cum opio refugere nos oporteat.

Neque tamen ubique res ex votis nostris plane cesserit; e contrario tanta nonnunquam actioni illi morbosae inest contumacia, ut, si propter partus retardationem vita infantis periclitetur, nihil nisi applicatio forcipis eventum faustum effecturis nobis supersit.

Puerperio feliciter transacto medici est, dispositionem mulierum ad morbos rheumaticos aeque diminuere atque noxas ab iis defendere occasionales. Illi consilio congruunt balnea frigida, sudorifica, marina, quibus nos plus in universum confidimus, quam medicamentis reliquis eundem in finem commendatis. Proposito alteri

vero ut respondeamus. praeter vestimenta quam aptissima regimen praescribendum est, quo vicissitudinibus temperiei externae repentinis diligentissime sese tueantur.

II. HYSTERALGIA RHEUMATICA.

A. SYMPTOMATA, DECURSUS, EXITUS.

Sedes morbi, de quo acturi sumus, diversa esse potest, nervis ad uterum transeuntibus diversis; plexus uterini fere eodem modo affici posse videntur atque nervus sacralis quartus, quintus, licet sententia hujusmodi vixdum fide magna pronuntiari debeat, quum casus hujus neuralgiae rarissime tantum ab auctoribus enarrentur. Quid est autem, quod pro causa raritatis illius argui liceat, nisi observandi difficultas atque inopia. Unus fere inter auctores nostrates, qui exactam hujus morbi descriptionem exhibuit, est Balling, quem nos igitur sequi coacti sumus. — Hysteralgia rheumatica, omnium hujus affectionis specierum frequentissima, virtutibus neuralgiae rheumaticae inprimis ornata est. Quin transmigrandi peculiaritate illa sic insignitur, ut saepe ab utero ad ventriculum indeque ad faciem transilire dicatur.

Hysteralgia non occurrit nisi in pubertate, sive viro nupserunt mulieres, sive coelibatum servant, refrigerio, ut fere fit, excitata, eo potissimum, quod mensium fluxum turbet, vel turgorem atque sensibilitatem justo ma-

jorem inexspectato superveniat. — Neque vero tam subito irrumpere solet in aegrotas atque plurimarum est neuralgiae specierum. — Princeps symptoma est dolor uterinus, qui a parte lumbali spinae dorsi oriundus summum atrocitatis fastigium assequitur in collo et orificio uteri, cum ceteris quamquam pelvis minoris organis per propagationem haud raro communicatus. Quod attinet indolem ejus, saepissime ustionis sensationem mulieres conqueruntur quam maxime injucundae, et secundum dispertitionem nervorum uteri peripheriearn dispersam. At sunt etiam aegrotae, quae pungere, lacerare, premere, terebrare dolores contendant. Quemadmodum autem de peculiaritate eorum nihil certi in universum tradi licet, itidem diuturnitas aegritudinis et lucida intervalla ad constituta tempora minime revocari possunt. Quin vehementia dolorum in diversis aegrotis ita differt, ut a modico molestiarum gradu ad conscientiae jacturam, sensuum obnubilationem exaggerari queat, convulsionibus fere simul eo facilioribus, quo magis nervorum sensitivorum affectio adaugetur. Itaque persaepe accidit, ut contenta ventriculi liquorque pellucidus per vomitum ejiciantur, nisi forte larga lacrymarum secretio sequitur. Ubi vero transmissione irritationis haec sive illa secretio aucta est, insultus dolorificus fere finitur, sive remissio tantum dolorum intrat, sive omnes omnino aliquamdiu evanescunt.

Tempus inter paroxysmos hujusmodi intermedium potissimum pro eo destinatur, ut neuralgia subito exorta sit, aut non. Quotiescunque enim sensim morbus evolvitur, toties lucida intervalla diutius persistere solent,

quam conditione contraria. Res autem quum sic se habet, per diem integrum a doloribus vix liberatae sunt aegrotae. Initio quidem horis matutinis, vel, quod saepius fieri solet, vespertinis tantum exasperantur, dum diem et noctem reliquam mulieres fere non vexantur; at parvo temporis spatio interjecto impetus singuli dolorifici ita protrahuntur, ut nullum exacerbationis remissionisque discrimen restet. Quem hysteralgiae decursum quum constantem et consuetum animadverterent, eo hancce neuralgiam a reliquis differre opinati sunt, quoniam pleraeque aliae a typo remittente converti soleant. Revera autem hysteralgia ne hoc quidem prae reliquis antecellit. Quemadmodum enim ad alias quoque hujus morbi species accedere possunt morbosae substantiae organicae commutationes, nervis vasorum per consensum aut irritatis aut antagonistice resolutis, ita propter nisum formativum, genitalibus muliebribus prae reliquis corporis partibus gradu majori insitum, degenerationes istae facilius formantur, irritationem continuam sustentaturae.

Sententiae, quam supra de commutatione typi pronuntiavimus, ea consona sunt, quae de catameniorum vi in dolores istos nota sunt. Mensibus enim, quamquam a regularitate et conditione naturali minime discedentibus, tamen insultus dolorosi turgoris genitalium initio et sub finem effluvii sanguinis multo vehementiores et frequentiores fiunt, ita ut, secretione uteri parca potissimum, nihil levaminis ex remissionibus aegrotae percipiant. Quamdiu autem menses manant, tamdiu molestiae fere cessant, unde nescio an pro explorato habendum sit, continuationem dolorum e statu congestivo ejusque

sequelis proficisci: quod placitum alia quoque dolorum peculiaritate comprobatur. Namque si ulla de causa menstruorum fluxus interpellatur, in loco ejus cruciatus isti apparent, neque desinunt, priusquam aut sanguis aut mucus, et ante et post sanguinis effluvium obvius, majori copia denuo protrudatur. Itaque extra menstruorum periodum haud raro contingit, ut ex irritatione a nervis sensoriis ad vasa translata muci secretio augeatur et accessus dolorosus per crisin illam in sanitatem transeat. Quod alias dolorum singularitates attinet, ex irritamentis quibuslibet in reliquum organismum agentibus increscunt. In eorum numerum referenda sunt motus alacriores, diuturni, curriculis vehi maxime per vias nimis inaequales, alia. Neque minus uterum infestant inquisitio per speculum instituta, coitus, pathemata animi, potus spirituosi, refrigerium. Dum vero aegrotae quiete quam minimum turbata frui possunt, situque horizontali, dolores admodum diminuuntur. Haec habemus de phaenomenis subjectivis hysteralgiae propriis.

Quae per explorationem internam comperire licet, haec sunt: Portio vaginalis uteri nullo modo abhorret a structura normali, quatenus digiti ope cognosci potest; ejus temperies nedum ad gradum majorem evecta sit, Balling auctore, justo demissior plerumque persentitur, licet mulieres calorem ingratum, imo ardorem nonnunquam conquerantur. Ex levi pressione sicuti dolores ingravescunt, ita fortiore penitus fere disparent. — De phaenomenis ex affectione nervorum uteri consecutivis haec sunt notanda: Febris sola hysteralgia nunquam suscitatur, nisi forte morbi secundarii inde prodierunt,

cutis e contrario frigescere solet haud raro in anserinam, quae dicitur. prona: urina vulgo pallida et copiosa; pulsus celeritate quadam insignis. Functio ventriculi autem inter ipsos paroxysmos per consensum haud parum turbatur. Quin exstant exempla, quae vomitu, quem supra jam commemoravimus dolorum exacerbationibus obvium, saepius repetito digestionem sensim sensimque tam depravari posse luculenter demonstrent, ut ructus aliaeque molestiae huc spectantes vel remissionum temporibus nequaquam desiderentur. Animi temperies in mulieres hujusmodi justo irritatior esse solet, et quae praecipue a conjugibus accusatur sequela, ea est conceptionis inopia indeque sterilitas.

Tempus, quod hysteralgia persistere potest, tam diversum in casibus diversis, ut a septimanis nonnullis ad complures annos protrahi possit. Exitus vero hucusque hi observati sunt:

1. Restitutio in integrum raro occurrit sola vi medicatrice; sin artis medicae auxilio provocatur, paulatim tantummodo produci potest, ita quidem ut accessus dolorosi rarius paulatim et gradu minore in conspectum veniant.

2. Morbi, in quos hysteralgia converti potest, in universum ex dispositione aegrotarum variantur. Itaque in aliam neuralgiam, exempli gratia dolorem cruciantem faciei, cardialgiam abit, ubicunque systema nervosum proclivitatem eximiam ad morbos hujus generis habet, dum hysteritis rheumatica nascitur, si systema vasorum uteri capillarium inprimis offenditur. Carcinoma denique uterinum nonnunquam inde exsistere fertur, id quod, dys-

crasia carcinomatosa in organismo affecto praesente, certo negari nequit.

3. Mors ex ipsa neuralgia nunquam efficitur; morbis secundariis autem sine dubio fieri potest. ut aegrotae succumbant.

B. DIAGNOSIS.

Morbi, quibuscum confundi possit hysteralgia rheumatica, sunt:

1. Hysteralgia aliunde oriunda, quae revera dignosci non potest a rheumatica, nisi momentis anamnesticis. Nullus sane dubitationis locus de natura morbi restabit, si subito ex refrigerio eum obortum esse audiverimus.

2. Rheumatismus uteri muscularis, qui ab hysteralgia differt

a. doloribus trahentibus, qui in utroque pelvis minoris latere repanduntur, ligamenta potissimum uteri rotunda sequuntur et haud raro ad ipsa femora transeunt.

b. Haemorrhagiis istis, quae cum dolorum exacerbationibus congruunt.

c. Febri rarissime tantum desiderata, quae omnia in hysteralgia desunt.

3. Metritis rheumatica prae se fert dolorem continuis — remittentem, qui ex pressione portionis uteri vaginalis satis tumidi increscit, collum uteri justo calidius est, et febris semper affectionem hancce comitatur.

4. Dysmenorrhoea eo distinguitur ab hysteralgia, quod dolores apud illam non adsunt nisi brevi ante men-

struationis initium. neque repetuntur post fluxum menstrualem peractum.

5. Metritide chronica mulieres laborantes doloribus continuis iisque obtusis cruciantur, dum hysteralgia praesente subito prorumpunt paulo post disparituri.

6. Carcinoma uteri ne initio quidem cum hysteralgia confundi queat, si ratio habetur conditionis uterinae per explorationem cognitae. effluvii illius saniosi, et sanguinis dissoluti foetidissimi, nec non fugacium dolorum lancinantium.

7. In hysteria quidem dolores uterini quoque nonnunquam exstant: sed neque unquam tantum vehementiae gradum adipiscuntur, quantus in hysteralgia fieri solet, neque in uterum solum fixi sunt, sed mutabiles ab aliis ad alias corporis partes transmigrant. Cui rei quum reliquas virtutes mulieribus hystericis proprias adjeceris, vixdum morbus alter pro altero duci possit.

8. Dislocatio uteri denique, de qua nonnunquam dolores gravissimi excitantur, facili negotio ea re ab hysteralgia dignoscitur, quod perscrutatione interna orificium uteri a situ normali discessisse docemur, et aerumnae quaelibet fugantur, simulac positio naturalis restituta est.

C. PROGNOSIS.

Prognosis quum apud neuralgias generatim pendet ex causis potissimum, tum hysteralgia rheumatica haud dubie sanationi magis favet, quam eae hujus affectionis species, quae ab aliis dyscrasiis originem duxerunt, vel morbo centrali obnoxiae sunt. Alterum momentum, quod vim haud exiguam agat in judicium hujusmodi praesa-

giendum, est diuturnitas, quam hysteralgia jam perduravit, antequam medici auxilium peteretur. Constat enim inter omnes, neuralgias, quum primum tempus aliquod excesserint, cum organismo ita quodammodo coalescere posse, ut non amplius ab eo separari queant. Praeterea respicienda est frequentia paroxysmorum et ratio intervallorum lucidorum. Quo saepius enim insultus isti dolorosi iterantur, eo minus, ceteris paribus, spem aegrotis ostendi licet, fore ut ab illis liberentur. Nam tantum abest, ut sensibilitas nervorum affectorum inde exhauriatur, ut erethismus eodem gradu increscere videatur, quo irritatio repetitur. Conditio vero omnium fere gravissima in fortunis aegrotarum nititur. Namque quieta animi temperies, vivendi ratio laborum quorumlibet expers, oblectationes a concitatione organismi liberae, summum aegrotis commodum afferre valent. Sin evitare labores nimios aegris non licet, neque effugere irritamenta ista, quibus morbus recidivus fiat, conamina medici etsi per se aptissima frustanea sunt: quin refrigerium levissimum spem irritam reddere valet, quae e conditione reliqua jam capi posse videtur.

D. CURATIO.

Indicationi causali satisfacturis nobis opus est ea medicamenta aegrotis porrigere, quae contra rheumatismum in genere agunt. Itaque a Balling hunc in finem commendantur praecipue balnea calida, vesicatoria, praeparata seminum et radicis colchici, hydrargyrum muriaticum corrosivum, ferrum carbonicum. Neque tamen promiscue alterum horum remediorum substitui debet

alteri; e contrario summa cum diligentia ea sunt eligenda, quae ad diuturnitatem, vehementiam morbi, constitutionem et res externas aegrotae maxime quadrant. Qua re in casibus recentibus laudandus est usus vini seminum colchici, cui, evitandae diarrhoeae causa, ab initio parca opii copia adjiciatur necesse est. Una cum illo clysmata ex aqua calida parata suadentur ab Eisenmann, quibus auctor ille tantam fidem habet, ut contra affectiones rheumaticas quaslibet, eas potissimum, quae organa corporis interna occupant, administranda curet. Sin morbus jam aliquamdiu perstitit, neque utilitatem parant medicamenta, quorum supra mentionem fecimus, ad usum olei jecoris transeamus, quod etiam contra rheumatismum inveteratum, pertinacissimum, auxilium ferre dicitur. Neque vero illo remedio ubique devincitur et ad ferrum carbonicum, alkohol sulphuris, oleum terebinthinae, electricitatem refugere debemus, nisi forte morphium aceticum ex methodo endermatica applicatum praestare videatur. Una cum hoc et illo medicamento usui interno ordinato, emplastrum vesicatorium ad regionem lumbalem applicari fas est.

Sed quacunque medendi ratione aegrotam curamus, semper est quam accuratissime cavendum, ne motus laboriosi, concitationes genitalium, pathemata animi, cibi vel potus nimis irritantes, refrigerium denique, curae effectum interpellent, quippe irritamentis istis nocuis non defensis faustus conaminum medici successus neutiquam exspectari debeat.

LITERATURA.

1. Welten in Rust's Magazin. XIV. 1823.
2. v. Siebold's Journal. IV. 1824.
3. Schoenlein's Vorlesungen. Band II. 1839.
4. Balling, die Geschlechtskrankheiten des Weibes. II. Göttingen 1836.
5. Wittke, Beobachtungen über Rheumatismus uteri. In v. Siebold's Journal XVI. 1837.
6. Eisenmann, die Krankheitsfamilie: Rheuma. III Bd. Erlangen 1842.
7. Hueter, die dynamischen Geburtsstörungen. II Bd. Berlin 1830.
8. Busch, Lehrbuch der Geburtskunde. Berlin 1842.

9. Recamier, in Martinets tableau des Maladies observées à l'hôtel Dieu etc. Revue méd. 1824.
10. Wigand, J. H. die Geburt des Menschen. Berlin 1820.
11. Joerg, Handbuch der Krankheiten des Weibes.

V I T A.

Natus sum Fridericus Mauritius Baumert, fidei addictus evangelicae, die XXVI mensis Decemb. anni MDCCCXVIII Hirschbergae, patre Friderico, mercatore et matre Louisa e gente Werner. Parentes praematura morte mihi ademptos jam per multos annos lugeo. Puer ego anno decimo quarto aetatis gymnasium, quod in patria urbe directore Linge optime florebat, adii. Maturitatis testimonio instructus, anno hujus saeculi XXXVIII Vratislaviam me contuli, ubi Ill. Otto, t. t. Rector Magnificus, et Ill. Purkinje, t. t. Decanus ordinis medicorum gratiosi, civibus academicis

Viadrinae me adscripserunt. Ibidem per duos annos interfui scholis horum virorum doctissimorum: Ill. Braniss de logice, de psychologia; Ill. Fischer de chemia theoretica, practica et pharmaceutica; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Goeppert de arte formulas medicas concinnandi, quo eodem duce botanicis excursionibus interfui; Ill. Henschel de encyclopaedia medica; Ill. Nees ab Esenbeck de botanice generali et speciali, Ill. Pohl de physice experimentali, de phaenomenis electro-magneticis; Ill. Otto de anatomia corporis humani, comparata et pathologica, de historia foetus, de osteologia, de sectionibus forensibus, idemque artem cadavera rite dissecandi me docuit; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de fascia et instrumentis; Ill. Wendt de materia medica, de morbis psychicis; Ill. Klose de therapia generali. Vratislavia relicta Berolinum profectus sum ibique ab Ill. Twesten, t. t. Rectore Magnifico, inter cives Fridericae Guilelmae receptus,

apud Ill. Hecker, t. t. Decanum ordinis medici maxime spectabilem, nomen dedi atque hos viros doctissimos disserentes audivi: Ill. Schoenlein de pathologia generali et speciali; Cel. Romberg de propaedeutice clinica; Ill. Hekker de medicinae historia; Cel. Kluge de arte obstetricia; Cel. Troschel de chirurgorum fasciis; Ill. Wagner de medicina forensi. Scholis clinicis interfui medicis Ill. Schoenlein, Cel. Wolff, Ill. Osann nunc beat., Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach, ophthalmiatricis Ill. Juengken, syphiliticis Cel. Kluge, obstetriciis Cel. Kluge. Ut officiis, patriae debitis, satisfacerem, munere chirurgi militaris voluntarii, duce Exp. Stumpf in cohorte tormentariorum per hoc annum adhuc fungor.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis quas possum maximas gratias palam ago.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis, nec non examine rigoroso rite

superato, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Doctrina de laesionum lethalitate ei, quod petimus, non satisfacit.
2. In eclampsia parturientium partus violentus nocet.
3. Febris puerperalis semper est morbus miasmaticus.
4. Quo major medicamentorum contra morbum copia, eo difficilior ejus medela.